

quo fieri potest, optimo, satisfieri censetur.

Advertendum tamen, quod etiam post inspectos et examinatos Missarum libros juramentum de satisfactione præstita, absolute deponere non possint sacerdotes, sed cum apposita clausula: « Juxta tenorem, et annotationem præfatorum librorum, et non aliter, nec alio modo juramus, etc. »

Porro, quia vel maxime constare etiam debet, num ipsi sacerdotes juxta intentionem a superiore vel sacrista sibi datam celebrarint, et celebrando oneribus Missarum satisfecerint, ratio, finis, et intentio legis, consequenter lex ipsa ulterius requirere videtur, ut pro tempore præsentis sacerdotes desuper jurato, et quidem absolute testentur, cum quivis eorum, num juxta memoratam intentionem celebrarit, optime sciat, ac propterea cum veritate absolute jurare facile possit, et per consequens debeat, sequenti aut simili modo.

**Formula juratæ attestatiōis a regularibus præstanda.**

« Cunctis præsentis inspecturis notum sit, qualiter nos infrascripti sacerdotes monasterii N. vel conventus N. visis, et diligenter examinatis libris, qui in sacristia dicti monasterii, vel conventus asservati, tum Missarum onera cuncta, tum perpetua, quam temporalia, et manualia: tum eorumdem satisfactiones, et adimplementa juxta præscriptum constituit. Innocentii XII. Nuper. Annotata continent, invenerimus, Missas ex vi legati perpetui vel contractus singulis diebus, vel septimanis, vel singulis mensibus, vel quolibet anno celebrari debere.... (exprimatur distincte numerus v. g.) pro serenissimo, etc. N. N. singulis diebus unam, pro defuncta familia N. qualibet septimana tres, pro defuncto reverendissimo singulis quatuor temporibus unam celebrari debere, et celebratas esse.... (exprimatur veritas) v. g. hucusque omnes excepta.... celebrandas vero intuitu manuali eleemosynæ fuisse a die, etc. mensis, etc. anni, etc. usque ad diem, etc. mensis, etc. anni, etc. sub priore, vel guardiano fuisse.... (designetur numerus) ac sub eodem, sine gravi alicujus dilatione celebratas esse.... consequenter adhuc celebrandas restare... quod juxta tenorem et annotationem præfatorum librorum, et non aliter, nec alio modo, hisce

sub juramento testamur, sub eodem etiam asserentes, nostrum quemlibet juxta intentionem a superiore immediate vel mediate nobis datam, semper celebrasse. In quorum majorem fidem, præsentis propria manus subscriptione, et consueto conventus sigillo munimus. » Datum, etc.

Quod si sacerdotum unus, vel plures in præfatis libris vel fraudem vel errorem, defectum, negligentiam, vel nimiam Missarum dilationem aut etiam omissionem deprehenderent, illum in attestatiōe exprimere, vel a subscriptione et attestatiōe omnino abstinere, et superiorem majorem desuper informare utique deberent.

Ad quem finem, et ut quivis, quantum requiritur, et sufficit, libros Missarum lustrare, suamque attestatiōem juratam conscientiose, et veridice dare queat, ulterius necessarium erit, ut superior localis suis subditis sacerdotibus insimul congregatis libros sæpe allegatos legendos, et examinandos tempore opportuno tradat (singulis enim privatim ad cellam libros committere non expedit) quatenus quivis eorum necessariam pro jurata attestatiōe præstanda cognitionem haurire valeat.

Notandum tamen, quod licet superiores locales singulis annis exactam rationem reddere debeant, qualiter oneribus Missarum satisfecerint, attestatiōem tamen juratam a subditis sacerdotibus de memorata satisfactione, tempore sui regiminis præstita, secum afferre duntaxat debeant in capitulis aut congregationibus provincialibus, uti liquet ex §§ 27 et 33.

Si quæras, quomodo apud regulares in praxi conficiendi, et ordinandi sint duo Missarum libri a constitutione Innocentii XII, præscripti? Resp. Relinqui hoc prudenti superiorum judicio. Juvat tamen hic adducere, quod aliqui, ut fini et intentioni legis satisfaciant, regulas, et methodum sequentem observent.

Regula prima: liber celebrandas Missas continens habeat plures rubricas, et quævis rubrica habeat plura in proportionato numero, aut quantitate folia, diversis signaculis a foliis alterius rubricæ distincta.

Regula secunda: memoratus liber potest habere sequentes rubricas.

**RUBRICA I.** — « Onera Missarum perpetua et temporalia. »

**RUBRICA II.** — « Missæ currentes, seu manuales pro stipendio eleemosynario celebrandæ. »

**RUBRICA III.** — « Missæ currentes, seu manuales alias ob stipendium eleemosynarium specialiter pro defunctis celebrandæ. »

**RUBRICA IV.** — « Missæ pro xenio, dono natalitio vel gratitudinis, aut alio simili titulo sponte oblatæ benefactoribus aliisve personis, et ab eis acceptatæ, consequenter etiam sub obligatione legendæ. »

**RUBRICA V.** — « Missæ vi statutorum pro defunctis fratribus, parentibus, consanguineis, benefactoribus, et confederatis celebrandæ. »

Circa primam rubricam nulla in conficiendo repetitur difficultas, cum plus non requiratur, quam ut exacte specificetur, quot, quo tempore, qua intentione, quo loco et quo modo sint celebrandæ sequentiaut simili modo.

**RUBRICA I.** — « Onera Missarum tam perpetua, quam ad certum tempus in conventu.

» Pro anno 1712, adimplenda a die 18 sept., singulis diebus legi debet una Missa pro fundatore N. N.

» Feria secunda cujuslibet septimanæ una Missa in honorem B. V. Mariæ pro vivis et defunctis familiæ N. N. idque vi legati perpetui a D. N. facti, conventui annuatim ferentis eleemosynam. - fl. - X.

» Qualibet septimana duæ Missæ pro defuncto N. in altari privilegiato; ex fundatiōe D. N. importante annuam eleemosynam. - fl. - X.

» Singulis mensibus officium solemne de Requiem pro defuncta familia N. ex perpetuo legato ferente eleemosynam annuam. - fl. - X.

» Quinto maii cujuslibet anni, officium solemne in honorem B. V. M. sine labe conceptæ, in altari ejusdem pro extirpatione hæresum fundatiōe Domini N. ferente annuam eleemosynam. - fl. - X. »

Et sic de aliis. Quæ an, et qualiter adimpleta sint, facile cognosces, si cum hoc confers librum alterum, in quo satisfactio et adimplementum Missarum principaliter continetur; præsertim quia juxta dicenda infra, refertur ibidem præter Missas, quotidie lec-

tas etiam dies, qua Missæ petite sunt, aut debentur, et rubrica, ad quam quævis pertinet: quamvis etiam optime fieret, si post hujusmodi relationem de oneribus adimplendis inferius referretur, qualiter, et a quo cuius suo tempore fuerit satisfactum.

Anno sequenti, poterit in libro hujusmodi eadem rubrica, et, si nullum onus de novo advenit, remissio fieri ad annum præcedentem v. g.

**RUBRICA I.** — « Onera Missarum tam perpetua, quam ad certum tempus in conventu N.

» Pro anno 1722, adimplenda a die 19 septembris sunt eadem, quæ anno priori. »

Post quam remissionem iterum referendum, qualiter et a quo dictis oneribus hoc anno fuerit satisfactum; si vero onus aliquod additum, demptum, vel mutatum est, exprimatur.

Circa secundam rubricam major, ac exactior requiri videtur observantia, et attentio ad hoc, ut inspicientes, examinantesque librum commode, et sufficienter cognoscere valeant, an et qualiter satisfactum sit hujus rubricæ Missis, servire tamen poterunt ad hoc sequentes regulæ:

I. Eligantur in cujusvis folii latere ad primam extremitatem duo spatia diversis lineis distincta in quorum uno notetur dies anni et mensis, in quo Missæ manuales seu currentes pro eleemosyna petite fuere, vel obligare cœperunt: in altero autem numerus Missarum hujusmodi, quæ quovis die fuere petite

II. Post hæc spatia in linea recta ad præfatum numerum scribatur intentio Missarum petitarum cum necessariis circumstantiis, præsertim talibus, ex quibus cognosci valeat, num statim legi debeant, vel aliquam saltem dilationem patiantur. Si enim Missa petitur pro felice morte alicujus v. g. agonizantis, vel cras ad patibulum ducendi, vel alterius causæ, aut negotii de præsentis urgentis, utique nullo modo differri poterit persolutio talis Missæ.

III. Postea ad alteram extremitatem fiant alia duo spatia, duabus aliis lineis distincta, et in eorum uno scribatur pariter in linea recta ad præcedentia dies anni et mensis, quo Missæ in linea recta specificatæ, fuere celebratæ, in altero autem nomen sacerdotis, qui celebravit, quatenus inde illico

cognosci valeat, an, et quando aliqua Missa libro, in quo Missæ jam celebratæ præcise ac qualis fuerit dilata: Item an correspon- continentur. Capies hoc magis ex sequenti deat liber celebrandarum Missarum cum schemate.

Dies anni, et mensis, quo missæ pro elemosyna fuerit petite.	Numerus missarum petitarum pro elemosyna.	RUBRICA II. MISSÆ CURRENTES, SEU MANUALES PRO STIPENDIO ELEEMOSYNARIO CELEBRANDÆ.	Dies anni, et mensis, quo hæ missæ fuerit celebratæ.	Nomen cuiusvis sacerdotis, qui aliquam ex his missis celebravit.
Anno 1710. 1 Januarius.	1	In honorem S. Antonii pro felici partu. In hon. Spiritus S. pro felici electione crastina. Ad intentionem petentis. Pro felici morte agonizantis. . . . .	1 Jan. 1710. 1 Jan.	P. Petrus. P. Massacus.
	1	Pro felici regimine noviter electi decani, de quibus P. Andreas. P. Tobias. . . . .	2 Januar	P. Xistus.
	2	P. Eligius legerunt . . . . .	1 Januar	P. Leo.
	12	P. Albanus et P. Ivo. . . . . P. Alexius. . . . . P. Antonius, P. Sylvius, P. Ivo. . . . . P. Christianus, P. Leo. . . . . P. Alexius. . . . .	2 Januar. 2 Januar. 29 Januar. 7 Februar. 12 Februar.	
		<i>N. B.</i> Ex hoc vides, quomodo numerus et dies Missarum, necnon nomen sacerdotis legentis signari debeant, pro debita cuiusvis notitia, casu quo, plures ab aliquo petuntur ad eandem intentionem. Debent nempe sacerdotes celebrantes, et numerus Missarum lectarum in medio hoc spatio scribi; quia in extremitate sufficiens non esset spatium. Hinc pro numero Missarum ad eandem intentionem petitarum relinquendum est proportionatum spatium, in quo nomina sacerdotum et numerus Missarum præfato modo scribi valeant.		
2 Januarius.	1	Pro serena tempestate . . . . .	2 Januar.	P. Ivo.
	1	In hon. SS. Trinit. pro gratiarum actione N. . . . .	2 Januar.	P. Andreas.
	1	Pro impetranda virtute humilitatis. . . . .	2 Januar.	P. Gabriel.
	Latus.			
	20			

Pari modo inscribuntur, et notantur celebrandæ Missæ de tertia rubrica pro defunctis hoc addito, ut quæ in altari privilegiato petuntur, diligenter notentur. Pro majori captu annectitur etiam schema sequens.

Dies anni, et mensis, quo hæ missæ sunt petite.	Numerus harum missarum petitarum.	RUBRICA III. MISSÆ CURRENTES SEU MANUALES CELEBRANDÆ OB STIPENDIUM ELEEMOSYNARIUM PRO DEFUNCTIS.	Dies anni, et mensis, quo hæ missæ fuerit lectæ.	Nomen cuiusvis sacerdotis, qui aliquam ex his legentis.
Ann. 1710. Januar.	1	Pro defuncta Maria. . . . .	2 Jan. 1710.	
	1	Pro defuncto Marco in altari privil. . . . .	2 Jan.	
	1	Pro defun. Petro in alt. privil. . . . .	7 Jan.	
2	1	Pro defun. Anna. . . . .	18 Jan.	P. Ivo.
15	2	Pro defuncto Alexio in alt. privil. . . . .	19 Jan.	P. Petrus.
17	1	Pro defunct. Ursula, de quibus legit. . . . .	24 Jan.	P. Emanu.
24	1	Pro Largus, P. Zeno. . . . .	25 Jan.	P. Paulus.
29	1	P. Liborius . . . . .	26 Jan.	
		Pro defun. Elia . . . . .	3 Februar.	P. Ivo.
Februar.	1	Pro defun. Ursula in alt. privil. . . . .	4 Februar.	P. Ivo.
1	1	Pro defuncta Rosina. . . . .	5 Februar.	P. Andre.
5	1	Pro defunct. Anna. . . . .	8 Februar.	P. Ivo.
6	1	Pro defunct. Rosalia. . . . .	8 Februar.	P. Remig.
	1	Pro defunct. Eva. . . . .	10 Februar.	P. Laurent.
	2	Pro defun. Antonio in alt. privil. de quibus P. Emmanuel. . . . .	10 Februar.	P. Michael.
	1	P. Thomas. . . . .	11 Februar.	
8	1	Pro defunct. Joanne. . . . .	8 Februar.	P. Justus.
14	1	Pro defunct. Antonia. . . . .	14 Februar.	P. Festus.
16	1	Pro defunct. Alexio. . . . .	16 Februar.	P. Ivo.
20	1	Pro defunct. Andrea. . . . .	20 Februar.	P. Paulus.
28	Latus.	Pro defunct. Elia. . . . .	29 Februar.	P. Antonius.
	49			

Eodem fere modo inscribantur, et notentur Missæ quartæ rubricæ sponte oblatae quidem, sed acceptatae, indeque sub obligatione legendæ. ubi tamen loco ly petita, ponitur oblata Missæ. Juvat brevem annectere formulam.

Dies anni, et mensis, quo hæ missæ oblatae fuerit.	Numerus oblatarum harum missarum.	RUBRICA IV. Missæ pro xenio, dono natalitio, gratitudinis, aut alio titulo sponte oblatae, benefactoribus aliisque personis, et ab eis acceptatae indeque obligatoriae.	Dies anni, et mensis, quo hæ missæ fuerit lectæ.
Ann. 1710. Januar.	6	Pro xenio oblatae reverendissimo N. ad intentionem ejusdem legendæ, de quibus legerunt P. Ivo P. Ferdinandus. . . . .	3 Jan. 1710.
	1	P. Leonardus. . . . .	6 Jan.
	1	P. Andreas. . . . .	8 Jan.
19	3	P. Ivo et P. Alexius. . . . .	15 Jan.
		Pro natali oblato illustrissimo N. pro ejus defuncta familia legendæ, de quibus P. Odilo legit. . . . .	20 Jan.
		P. Ivo. . . . .	24 Jan.
		P. Amadeus. . . . .	25 Jan.
Februar.	50	Ex debita gratitudine, oblata Reverendissimo ob præstitum insigne beneficium N. de quibus legerunt P. Ivo, P. Odilo. . . . .	
		P. Paulus. . . . .	5 Feb.
		P. Tiburtius, P. Antonius. . . . .	8 Feb.
		P. Leo. . . . .	9 Feb.
16	2	<i>N. B.</i> Et sic consequenter; relinquatur propterea spatium proportionatum.	
20	1	Pro natali die oblatae magistro N. de quibus legit P. Leo. . . . .	17 Feb.
	Latus.	P. Ivo. . . . .	24 Feb.
		Pro natali oblata honesto viro N. . . . .	28 Feb.
	62		P. Leo.

Pro rubrica quinta paulo aliter ordinatur schema Missarum celebrandarum ita videlicet, ut in extremitate prima lateris, unum duntaxat per lineam distinctum relinquatur spatium, in quo signatur dies anni, et mensis, quo mors confratris, confederati, benefactoris, etc. innotuit, simulque ponitur numerus Missarum, quæ pro tali defuncto vi statutorum, vel ex ordinatione superiorum celebrari debent. Postea scribantur patres, qui Missas pro illo legerunt, addito numero illorum, quæ in quovis die mensis (qui etiam exprimi debet) fuerit celebratæ, ad quem finem sufficiens pro inscribendis successive patribus pro tali defuncto celebrantibus relinquatur spatium, sequenti, aut simili modo.

Dies anni, et mensis, quo hæ missæ sunt petite.	Numerus harum missarum petitarum.	RUBRICA V. MISSÆ VI STATUORUM PRO DEFUNCTIS FRATRIBUS PARENTIBUS, CONSANGUINEIS, BENEFECTORIBUS, ET CONFEDERATIS CELEBRANDÆ.	Dies mensis, et anni, quo hæ missæ leguntur.
Ann. 1710, 2 Maii innotuit mors F. Lini, pro quo legi debent missæ 60.		Pro Fr. Lino celebrarunt P. Alexius. . . . .	3 Maii 1710.
		P. Ivo, Leo et P. Justus. . . . .	5 Maii 1710.
		P. Petrus, P. Marcus, P. Paulus. . . . .	20 Maii 1710.
		P. Ivo et P. Leo. . . . .	4 Junii 1710.
		Et sic subsequenter, donec præfatus numer. 60 missarum adimpleatur, ad quem finem relinquatur spatium proportionatum.	
Ann. 1710, 8 sept. innotuit mors regis Hispaniæ, pro quo ex mandato, Rmi P. generalis quisvis sacerdos in ordine tres legere debet missas, sic in conventu nostro erunt legendæ 36.		Pro rege Hispaniæ missas celebravit P. Leo. . . . .	8 Sept. 1710.
		P. Ivo, P. Justus, P. Sanctus. . . . .	9 Sept. 1710.
		P. Quido, P. Xistus, P. Daniel, P. Leo. . . . .	10 Sept. 1710.
		et sic consequenter, ut supra.	
		<i>N. B.</i> Si forsitan tempore aliquo superior satis magnum numerum missarum habens, missas pro hujusmodi defunctis celebrandas committeret pro competenti elemosyna alicui alteri Missis destituto conventui, diligenter hic notetur, addito etiam die, quo id factum v. g. pro rege Hispaniæ missas celebrandas commisit R. P. Prior, vel guardianus conventui N. 28.	

Alter liber, solas videlicet continens Missas, jam celebrandas, seu adimplementum omnium quarumcumque Missarum, facilius est ordinationis; siquidem in eo non fiunt

plures rubricæ, sed præcise quovis die (qui ab initio semper poni debet) specificantur omnes Missæ, quæ a quovis sacerdote totius conventus vel monasterii celebratæ sunt, ubi tamen advertendum, ut præmisso nomine sacerdotis celebrantis quævis Missa in hoc libro iisdem specificetur verbis, quibus notata fuit in priori libro, ubi principaliter specificatæ habentur Missæ celebrandæ: simulque in spatio per lineam distincto addatur dies mensis, et anni, quo Missa quævis fuit petita, vel obligare incepit, ac insuper notetur numerus rubricæ, ad quam Missa pertinet, quatenus inde illico videri possit, an hic liber cum priori correspondeat, et qualiter cunctis Missæ oneribus satisfactum sit. Rem magis declarabit sequens formula.

ANNO 1710.	Dies anni, et mensis, quo missa fuit petita vel obligare cepit.	Numerus rubricæ ad quam pertinent.
<b>1 JANUARI, FERIA SECUNDA.</b>		
P. Petrus in honorem S. Antonii pro felici partu . . . . .	1 Januarii 1710.	2
P. Massæus pro felici electione crastina . . . . .	1 Januarii 1710.	2
P. Leo pro felici morte jam agonizantis N. . . . .	1 Januarii 1710.	2
P. Ivo pro fundatore N. . . . .	Perpetua.	1
Et sic de reliquis, sequitur dein dies altera per lineam distincta v. g.		
<b>2 JANUARI, FERIA TERTIA.</b>		
P. Xistus ad intentionem petentis . . . . .	1 Januarii 1710.	2
P. Antonius pro fundatore . . . . .	Perpetua.	1
P. Andreas pro felici regimine noviter electi decani N. . . . .	1 Januarii 1710.	2
P. Ivo pro xenio reverendissimi N. ad intentionem illius. . . . .	1 Januarii 1710.	4
P. Tobias pro felici regimine noviter electi decani N. etc. . . . .	1 Januarii 1710.	2
<b>3 JANUARI, FERIA QUARTA.</b>		
P. Ivo pro serena tempestate . . . . .	2 Januarii 1710.	2
P. Albanus pro felici regimine noviter electi decani N. . . . .	2 Januarii 1710.	2
P. Gabriel pro impetranda virtute humilitatis . . . . .	2 Januarii 1710.	2
P. Justus pro fundatore . . . . .	Perpetua.	1
P. Petrus pro defuncto Marco in altari privileg. . . . .	2 Januarii 1710.	3
P. Ferdinandus pro xenio reverendissimi ad intentionem illius, et sic de cæteris. . . . .	1 Januarii 1710.	4

Num methodum istam ordinandi præscriptos ab Innocentio XII duos Missarum libros imitari, vel aliam, forsitan meliorem, et faciliorem eligere placeat, cujusvis prudenti, et libero arbitrio relinquatur; illud tamen humiliter commendatur, ut superiores, qui aliam methodum faciunt, aut fieri curant, eam pro fine constitutionis Innocentianæ obtinendo ordinare omnino sategant; quatenus tam subditi sacerdotes, quam superiores visitatores, inspiciendo et examinando præfatos libros sufficienter et commode cognoscere valeant, an, et qualiter cunctis Missis fuerit satisfactum, num aliqua, et quænam omissa, vel culpabiliter dilata, aut alio minus recto ordine vel modo persoluta sint: cum illi, subditi videlicet desuper juratam attestationem deponere, isti vero, superiores nempe, errores, si quos inveniunt, corrigere, et strictam observantiam dictæ constitutionis procurare, et zelare debeant.

Contra superiorem a nobis subministra-

tam methodum objici quidem potest, requiri valde magnum laborem non tantum annotandis Missis celebrandis, et celebratis, sed etiam, et vel maxime in lustrandis et examinandis libris, præsertim in conventu aliquo, ubi plures v. g. 60, sunt patres, et magnus Missarum numerus. Resp. Id verum quidem esse, sed pariter etiam esse verum, quod qualitercunque ordinetur alia methodus, fieri nequeat, quin magnus labor, sedulaque cura, et attentio requiratur tam in annotandis celebratis, et celebrandis Missis, quam in lustrandis, et examinandis libris, si, uti fieri debet, pro fine, et intentione legis obtinenda ordinetur, juxta immediate superius dicta, uti consideranti, et aliam methodum formare tentanti patebit.

Cum itaque constitutione huic Innocentianæ necessario sit obediendum, et hoc sine magno labore fieri nequeat, in nomine Domini et in virtute obedientiæ propter Deum illum subire oportebit; præsertim quia operæ pretium est; eo quod serviat ad evitan-

das graves, easque varias fraudes, et negligentias quæ tam in annotandis, quam debito modo, debitoque tempore celebrandis Missis committi facile possent, et teste Bulla passim salebant non sine magna offensa Dei. et gravi injuria eorum, qui Missas fundant. aut pro manuali eleemosyna constituant. Qui propterea etiam eadem Bulla teste a similibus piis foundationibus, intentionibus et actibus absterrentur.

Facilitare, et abbreviare videtur hunc laborem si tempore, quo a sacerdotibus jurata attestatio de Missis rite celebratis dari debet; paulo videlicet ante capitulum provinciale, sacerdotibus ad refectorium convocatis, duo vel tres simul et semel librum ante se positum lustrant, ei dein illum a se sufficienter lustratum aliis consequenter, ordine servato tradant, ipsi vero ad alia sua negotia iterum se conferant. Notato prius in separata scheda numero Missarum petitarum, celebratarum, et adhuc restantium, necnon erroribus aut negligentis, si qui inveniantur.

Adhuc brevior foret via, si sacerdotes omnes compromitterent in tres vel quatuor ex ipsis, prudentes, et timentes Deum, a sese libere eligendis, ipsisque committerent, ut præfatos libros exacte, et conscientiose pro fine ac intentione legis examinent, et postea conscientiosam relationem cunctis insimul congregatis faciant. Verum sicut hunc modum lustrandi libros tanquam constitutioni Innocentianæ conformem, et pro intentione illius sufficientem positive approbare non præsumo, ita etiam si aliquibus sufficiens videtur, reprobare et improbare non audeo; præsertim cum in Bulla certis modis lustrandi libros non sit præscriptus, et alias, ut supra jam dictum, in hoc puncto notitia omnino certa, et infallibilis haberi nequeat.

Cæterum quicumque tandem libros examinant, breviori, et commodiori, simulque securo via incedere videntur, si prius numerent omnes Missas manuales cujusvis rubricæ, et summam earum annotent, quod statim fieri poterit aspiciendo summaria cujusvis lateris. Dein vero videant, quo die quævis Missa sit petita, aut obligare incepit, item quo et per quem fuerit lecta, quod in eodem folio, brevi et uno quasi intuitu haberi poterit, ex libro principaliter continenti Missas celebrandas (si methodus juxta supra positas formulas servetur). Quod

vi.

si Missa aliqua nondum lecta, aut plus justo dilata appareat, notetur. Et hoc modo totum negotium absolvitur. Nec enim est necesse, ut etiam omnes Missæ, et nomina sacerdotum celebrantium legantur in libro, in quo ordinate annotantur omnes Missæ, quas et pro quibus singuli sacerdotes conventus quovis die celebrantur.

Nec dicas; ergo hic alter liber superfluit. Respondetur enim, cum nihilominus apprimè quadrare, et necessarium esse; tum ut statim in promptu et breviter videri possit, utrum singuli sacerdotes, vel quinam, et pro quo, aut ad qualem intentionem quovis die legerint; quod ex altero libro tam commode habere nequit, ut consideranti patet: Tum, ut, si necesse fuerit, prout subinde necesse erit, indagari valeat, num hic liber cum alio per omnia bene correspondeat, ita ut idem sacerdos, qui in uno libro notatur legisse pro defuncta Maria in alteri privilegiato, pariter notatus reperitur in altero. Ad quod cognoscendum utique expedit, imo necesse erit pro fine legis, ut lustratores librorum saltem aliquas Missas ex utroque libro legant, et videant, num bene respondeant. Tali enim modo ad exactam in omnibus observantiam, et fidelitatem necessitantur tam superiores locales, quam sacristæ, hoc ipso, quod nesciant, quænam Missæ ex utroque libro a lustratoribus sint examinandæ.

Porro qualiter et qua methodo sacerdotes sæculares debeant ordinare duos Missarum libros ab Innocentio XII præscriptos, ex præfatis colligere poterunt, vel ipsimet pro arbitrio judicabunt. Nos solum hic notare volumus, pro facilitando eorum negotio apprimè servire; si fiat ordinatio, ut quivis sacerdos post Missam celebratam, propria manu in libro ad id deputato, suum nomen, et intentionem, pro qua Missam legit, inscribat; prout de facto Romæ universaliter fieri debet, ex novissimo decreto Clementis XI, quod proin etiam regulares in his partibus utiliter imitari poterunt.

Tandem pro iisdem sacerdotibus sæcularibus, necnon pro regularibus honorum capacibus notandum, quod Bulla Innocentii, § 27, expresse requirat, ut etiam eleemosynæ pro Missis oblata, distincte notentur, necessarium videatur, ut, dum Missa manualis aliqua inscribitur, simul etiam quantitas eleemosynæ pro illa oblata apponatur, quatenus etiam de hoc uti Bulla præcipit,